

deveſti fuerant, atque adhuc in portu detinebantur, ſecum
avexit; Cornelia navis, cum vetuſtate fatiſceret, neque pro-
celloſo mari obſiſtere poſſet, in Attalico ſinu undis eſt abſor-
pta; reliquæ vento ac fluctibus jaſtatae, vix naufragium eva-
ſere.

Idibus vero martii triginta milite atque annona refertæ ho-
ſtium triremes Cyprum appulere: ex iis octo ad Conſtantiam
ſervandam ſe contulere; reliquæ, expoſitis ſubſidiis, diceſſe-
re. Jamque pacato & tuto mari e circumjeſtis litoribus omnis
generis navigia ad exercitum confluere, continenter die no-
ctuque milites traduci, commeatus aſſatim ſuppeditari cœpe-
rant, cum pridie idus aprilis Halis Baſſa, maris præfeſtus,
cum triremibus centum appulit: militibus, tormentis, appa-
ratuque bellico expoſitis, celerrime in Aegæum contendit;
ut, reliqua ſibi claſſe adjuncta, in occidentem curſum diri-
geret. Ex transfuga captivo intra menſem unum militum
quingenta millia in caſtra hoſtium perveniſſe cognitum.
De eorum, qui poſtea trajecere, numero non conſtat: infini-
ta enim propemodum multitudo, ingentium divitiarum fama
pertracta, veluti ad certiſſimam prædam conſluebat. Interea
hoſtes, quæ ad mœnia quatienda neceſſaria erant, ſummo
ſtudio comparabant, cunctiſque animi & corporis viribus op-
pugnationem moliebantur. Noſtri contra, ut quamprimum
munitiones perficerentur, urgebant; atque alacri animo, ſum-
ma Divinæ opis ſpe freti, claſſemque propediem ſubſidio ven-
turam rati, Turcarum impetum expectabant. Per eos dies edi-
cto publico pronuntiatum, ut quicumque urbe exire, atque
ad ſuos pagos, ac villas ſe recipere vellent, id iis, modo ad
arma gerenda idonei non eſſent, impune liceret. Triduo ſe-
ptem circiter millia inutilis turbæ exire, quibus neque vi-
ctum neque quidquam, quod uſui in urbe tutanda eſſe poſ-
ſet, efferre (quæ res maxime cunctorum animos ad pietatem im-
pellere poterat) permittebatur. Sed cuncta charitas patriæ vin-
cebat; tutum ad eorum pagos perſugium hoſtes permiſere. Tum
ad militaria munera obeunda idoneis recenſitis, ſeptem millium
ac quadringentorum numerus reperiebatur; Italorum nempe
peditum tria millia ac quingenti; ordinum mille ac quadringen-
ti; ex ſex urbis regionibus duo circiter millia & quingenti; his
quin-

1571

*Turcica
triremes
cum milite
in Cyprum
appellunt.*

*Bragad nō
edicto inu-
ſili turbæ
Tamaffo
exire per-
miſtitur.*

*Tamaffo
praſidium.*